

Μετὰ τὰ Φυσικά nominavit. Quo nomine libri hodie exstant, in quibus Θεολογίαν potissimum persequitur Aristoteles. Hos uero ab ordine tractandi denominationis rationem accepisse, dubio caret omni, totusque in eo est P. Io. Nunnescius, in Peripat. Philosoph. Instit. IV. 20. sqq. ut probet, τὰ μετὰ τὰ Φυσικά, post perceptas Physicae praeceptiones, ex mente Aristotelis, tradi, explicarique debere.

XXIX. Sed enim cum nullus dubitem, quin hic potissimum locorum ad ipsam haberi ἀποκάλυψιν respectus debeat, ex illa rectius denominationis petitur ratio, adhibitis, illustrationis gratia, istis reliquis, ob quas Graeci hos, istosue uiros Theologorum insignire uoluerint nomine. Inuenio autem Θεολόγους appellatos esse Graecis, Poetas, Sacerdotes, Philosophos, Eroptas. Quibus omnibus hoc dabatur nomen, ob ἔκστασιν et Θεοπνοήν, ob donum προφητείας, aut praedicendi futura, ob facultatem, qua prae aliis gaudebant, intuendi in mysteria, quae rudi plebeculae occultabantur, tandem ob explicationem, et expositionem mysteriorum. Atque ita cum Theologum ex Graecorum mente nomino, nomino Virum Θεόπνευστον, προφήτην, sacrorum et mysteriorum, ad quae propius conspicienda admittebatur, interpretem. Solebant uero hi Θεολόγοι, si quando de rebus scriberent sublimioribus, omnia αἰνιγματικῶς, aut συμβολικῶς literis consignare, ne mox ab uno quoque intelligerentur, et ita sensim paulatimque praeceptiones uilescerent. Adicienda sunt in rei confirmationem antiquitatis testimonia. Poetas dictos esse Theologos, praeter Lactantium, Augustinum, aliosque, Clemens Alexandrinus testificatur, qui, si quid ex Poeta excitat, illum dicit Θεολογεῖν. Quo loquendi modo de Homero utitur, in Protrept. p. 16. Epimenidem, Cretensium Poetam, Θεολόγον nominat Diodorus Siculus. Idem uero Paulo Tit. I. 12. προφήτης dicitur. Edebat enim non raro uaticinia, quae quidem Aristoteles de rebus magis praeteritis fuisse scribit, quam futuris, notatus ea propter a Borremansio, in Dialogo, de Poet. et Proph. p. 71. sqq.

Ne-